

debes igitur petere medium ; quia sic attenditur ementis , & vendentis ratio.

Potest tamen fieri conventio , & pactum de certo pretio , quod prudenter tunc curret , illud mense Januarii determinando ; quia , si nulla sit fraus , par est utriusque periculum : unde hujusmodi venditioni , & emptioni accedit ratio iusti iudi , ut in num. 2484.

QUÆRES IV:

2490. An possit mercator tempore hiemis dare frumentum cum pacto , ut salvatur pretio corrente tempore aestatis , si tunc plus valebit , quam nunc , & si valebit minus , salvatur pretio currentis nunc?

R Esp. esse usurarium contractum , quia non est par utriusque conditio ; potest autem absolute vendere pretio corrente tempore hiemis , quando fit traditio , ut constat , præfata clausula non appositæ ; nam si mercator potest vendere frumentum tempore hiemis , pretio tunc corrente , & solutione actuali , à fortiori solutione dilata , quia dilatio solutionis est in beneficium emptoris.

QUÆRES V:

2491. Mercator mense Decembris dat pecuniam mafario , cum pacto , ut mense Augusti consignet tantum frumentum rationandum uno auro minus pretio iusto mense Augusti corrente , aut per metam taxando. An contractus sit licitus?

R Esp. esse usurarium , & mutuam palliatam , nisi adfit lucrum cessans , periculum , aut alius iustus titulus ex recessibus , quia mercator reportat lucrum certum , ex pecunia anticipatè tradita. Tum quia emptio extra limites iusti pretii est injusta : licitus est , si fit emptio frumenti consignandi mense Augusti , pretio tunc infimo.

2492. Hinc usurarius est contractus , quo quis dat pecuniam alteri pro tanto tritico , aut alia re proprio tempore consignanda , quatuor tarenis minus pretio , quod tunc curret , nisi adfit aliquis iustus titulus ex dictis , aut fit intra lineam infimi pretii.

QUÆRES VI:

2493. An contractus à gozar , quo Petrus dat tibi pecuniam , v. gr. centum aureos , tu vero das illi domum , cum pacto , ut quisque fruatur datis , donec tu reddas pecuniam ; possit licitari per contractum venditionis , & pacto retrovenditionis , quatenus videlicet tu vendas domum Petro centum aureis , cum pacto , ut post decem annos , Petrus eodem pretio tibi revendat domum.

Videatur , quod sic ; quia in contractu emphyteutico tu potes dare domum Petro , & percipere annum censum , & tamen Petrus post decem annos tenetur tibi reddere domum ; ita & ibi.

Respondeo , non posse , iuxta dicta num. 2389. quia in contractu venditionis transfertur dominium directum ; ita ut completa emptione , & venditione , res , si pereat , pereat emptori ; & in casu periret Petro ; non sic in contractu à gozar ; hic erit venditio palliata , & contractus mohatra.

Ref-

2494. Non tenet paritas contractus emphyteutici ; quia in hoc venditur , seu traditur ad tempus dominium utile , seu ususfructus ex re fructifera , nempe ex domo , cuius dominium directum residet penes proprietarium. Tum quia contractus emphyteuticus fit supra rem immobilem , & fructiferam , pecunia verò nec est immobilis , nec fructifera. Vide à num. 906. & num. 2389.

QUÆRES VII:

2495. An contractus inter mulierculas exerceri solitus , quo pecuniam dant(vulgo al uso de à modo de tela de xerga , &c.) sit licitus?

C Contractus sic efformatur: Dat mulier una alteri tarenos septem , quod est verum pretium , quo à mercatoribus vendi solet ulaa de la xerga ; ipsa tamen mulier ulnam unam de xerga , quæ tarenos septem valet , vendit tarenis duodecim , ea lege , ut mulier altera , qua emere dicitur , venditrici solvat grana duo qualibet die , usque ad extinctionem tarenorum duodecim ; & ita per tempus quatuor mensium , quod ad complendam solutionem requiritur , venditrix lucrum reportat tarenorum quinque. Ita similiter de contractu al uso de à modo de tela de xerga.

Respondeo , esse in fe contractum mutui , & usurarium , quia cum revera xerga illa non extet , contractus est mutui , nempe lucrì ex pecunia tradita ob solam temporis dilationem , palliatum contractu emptionis , & venditionis.

2496. Dixi in se ; quia si adfit periculum , quatenus , qui pecuniam dedit , tatum pignus non accipit , vel adfit lucrum cessans , &c. tunc quidem potest quid lucrì supra tarenos septem , quos dedit reportare , sed proportionatum lucro cessanti , aut periculo , iuxta superius dicta de periculo , & lucro cessante ; minime tamen excedens , ut ex septem per quatuor menses accipiat quinquè , quod in anno est accipere ex centum datis septuaginta lucrì : Excogitari ne potest scilicet majus ? iniquior usura ? Vide num. 2487.

QUÆRES VIII:

2497. An contractus à pazare , è consignare sit licitus?

P Raxis : Mercator mense Januarii vendit emptori centum modios tritici ; quos revera habet , consignandos mense Julii , quando emens solvit pretium ; tenetur autem mercator frumentum dare , quoties emptor petierit , medio tempore à Januarii ad Julium , quo tempore frumentum stat periculo , & expensis mercatoris ; eo verò elapso , potest venditor cogere emptorem , ut frumentum accipiat , & protestari , quod aliàs deinde interesse , expensæ , & periculum stent penes emptorem.

Pretium autem non est illud , quod currit mense Januarii , nec quod curret mense Julii , sed tribus tarenis , v. gr. plus eo , quod currit mense Januarii , quando fit contractus , ita ut si tunc pretium est quinquaginta , pretium taxatur quinquaginta tribus tarenis. Hoc præmissò.

Ref-

2498. Respondet Diana p. 1. tract. 8. ref. 65. esse licitum ; quia est verus contractus emptionis , & venditionis ; & illud plus trium tarenorum accipitur. 1. Pro expensis , labore , & periculo , quæ mercator subit ex eo , quod est obligatus frumentum conservare ad mensem Julii. 2. Quia par est in utroque periculo lucrandi , & perdendi ; nam mense Julio pretium potest esse majus , vel minus.

EMPTIO REI PECUNIA ANTICIPATA , & venditio rei ad creditum solutione pecuniæ dilata.

2499. Dico 1. Te non posse minoris iusto pretio rem emere , ex hoc præcisè , quod pecunia anticipata emis ; quia lucrum reportas ex tua pecunia anticipato tempore in totum , aut in partem soluta. Iustum autem pretium est illud quod res valet tempore traditionis , de quo fusè , dictum est num. 2482.

2500. Dico 2. Te non posse carius ultra iustum pretium rem , v. gr. pannum , &c. vendere , ex hoc præcisè , quia ad creditum vendis quia lucrum reportas non ex pretio panni , sed ex dilacione temporis , quod non est tuum , unde venditio ad creditum carius iusto pretio est virtualis mutatio. Nec potest sic vendentem juvare lucrum cessans. 1. Quia ad creditum vendens plures vendit merces , & plures habet emptores , quàm , si pecunia numerata venderet. 2. Quia sic se liberat à pluribus periculis , quibus sunt expositæ merces , si diu invenditæ in officina detineantur ; pannus enim est expositus carieis ; & quò diu detinentur , ed magis deperdunt. 3. Quia qui pecunia numerata emit , vult pretio infimo emere ; qui verò ad creditum vendit , potest pretio supremo vendere , & ita intra limites iusti pretii lucrari ; quæ si attentè considerentur , compensant venditori lucrum cessans ; ac proinde vendens ad creditum non potest ex vi lucrì cessantis lucrari : Et solùm posset qui moderatum supra iustum pretium ratione periculi amittendi rem venditam , & pretium , si venditor prudenter tale periculum cognoscat ; sæpè namque contingit , ut ementes pannum , aut telam credito , postea ausugiant , aut fe abscondant in soluto pretio ; quod periculum cessat si venditor accipiat tutum pignus , aut vendat personæ , de cuius fidelitate suspicari non potest.

Scotus in 4. d. 15. q. 2. à lit. P. Magistrus d. 5. q. 1. num. 11. Joan. la Cruz 7. prac. dec. v. Empt. & Vend. Bonac. tom. 2. de Contr. disp. 3. q. 2. pu. & segg. Basemb. lib. 3. tract. 5. cap. 3. dub. 8. Tamb. tom. 2. lib. 9. tract. 5. & tom. 1. lib. 8. tract. 3. cap. 7.

CONTRACTUS MOHATRA

2501. EST , quo quis emit creditis , & pretio supremo merces à mercatore , casque eidem retrovendit pretio infimo , aut viliori. Declaratur exemplo.

2502. Petrus indigens pecunia petit mutuò centum scuta à mercatore , qui respondens , se pecuniam non habere , offert suas merces : inde vendit Petro quantitatem panni pretio summo iusto , quod supponitur scutorum centum : Petrus autem , quia indiget non panno , sed pecunia , pannum emptum venditioni exponit pretio infimo , quod supponitur nonaginta quinque , aut nonaginta ; quo pretio eundem pannum redimit mercator ipse , qui vendidit , sicque lucrum reportat scutorum quinque , aut decem pro centum. An talis contractus sit licitus?

Resp. esse licitum , si verè intendat emere , & vendere , & nullam sit pactum explicitum , nec implicitum retrovenditionis eidem personæ , quæ vendidit ; quia tunc contractus est vera emptio , & venditio , quæ nullo iure iis prohibetur. Cardenas d. 24.

Nec ex hoc , quod idem mercator pannum redimat pretio infimo , inde lucrum reportans , committit usuram. 1. Quia , cum non adfit pactum retrovenditionis , mercator emit casualiter , ut unus de populo. 2. Quia , si potest tertius sic emere , cur non ipse , qui vendidit ? Eò maxime , quia si ipse emat , eum liberat à labore querendi emptorem. Nec obstat , si quando vendit , cognovit ex indigentia emptoris , se fore redempturum , dummodo non intercesserit allatum pactum , nec explicitum , nec implicitum , cuiusmodi esset intentio eum obligandi ad retrovendendum : quia tunc non adest intentio lucrandi ex mutuo. Magis timorati solent talem extra dimittere , ut prius extra querat emptorem ; & si non inveniatur , redeat.

2503. Si verò præcesserit pactum explicitum , aut implicitum retrovenditionis eidem , contractus est usurarius , & mutuam palliatum : quia cum emptio , & venditio fit libera , pactum , seu contractus de retrovendendo eidem , fatis dat intelligere fraudem mercatoris , quod circuitu illo velit lucrum reportare ex mutuo. Tum quia supposita venditione iusto pretio supremo facta , injustum est onus de retrovendendo à mercatore impositum. Hinc merito contractum mohatram cum contractu prævidè inito de retrovendendo eidem damnat Innoc. XI. Vide in pag. 5. Prop. 40. ab Innoc. XI damn. & vocatur vulgò contractus del bosque , quatenus fraudulentè circuitu puncti cædit corporis substantiam , & animæ salutem.

MONOPOLIUM

2504. EST , quo unus , vel plures mercatores inter se propria autoritate conveniunt , ut cogendo merces certi generis , eas carius divendant , efficiendo , ut vix alibi inveniri possint. Est injustum , & obligat ad restitutionem damni. Nam hujusmodi Monopola damnum inferunt aliis mercatoribus , faciendo ne vendant , & civibus , ut carius emant , ob paucitatem venditorum.

2505. Licitum autem est Principi ex justa causa concedere uni , aut pluribus , ut ipsi soli certas merces vendant , dammodo necessaria usui humano.

Ff 2

noq

non desint, nec Ecclesiastici graventur. Debet autem tunc Princeps rerum pretium expertorum iudicio taxare, ne cives plus aequo graventur. Iusta causa potest esse, ut sic illi curam habeant de abundantanti mercium copia populo necessaria providere, quæ alioquin deficiere possent. Sine iusta causa non potest id concedere Princeps, abque aliorum injuria.

Mastrius in *Theol. Mor. disp. 5. q. 1. num. 33. Tamb. tom. 1. lib. 8. tract. 3. cap. 7. §. 12. Busem. lib. 3. tract. 5. cap. 3. dub. 8. num. 9. Clericatus cap. 91. Diana p. 6. tract. 8. ref. 1.*

TERRAGIUM

2506. **R**EST, redditus, qui per Dominum terræ ex eius fructibus à Massario tempore recollectionis percipiuntur. Hic contractus in Sicilia practica- tur, Regia namque Curia (loquendo de terris, quas administrat nomine Regis) aut Barones (loquendo de terris in feudum, seu in emphyteusim concessis, quorum habent dominium indirectum, residende domino directo penes Regem, quæ proinde vocantur terræ feudales, & demaniales) feudum unum in plures partes terræ, puta quatuor, sex, &c. inter Massarios dividunt, cum onere totidem solvendi terragii, ita ut partes illas terræ serant, & colant, & terragii Regi Curia, aut Baroni solutis; quod superest, ad ipsos Massarios pro suis laboribus, & sustentatione spectat.

2507. Quantitas terragii solvenda attendi debet, vel ex pacto, vel consuetudine; nostra consuetudo est, ut solvatur salma una tritici pro una salma terræ per Massarios æstimandæ, & mensurandæ. Quod si adit pactum, illi standum est; ita tamen, ut Massarii non graventur; unde pactum, ut sit iustum, est faciendum de peritorum iudicio, qualitate, seu bonitate terræ, & aliis circumstantiis considerandis attentis.

2508. Terragium exigi debet in fructibus, qui ad victum hominis necessarii deservire debent, nimirum in frumento, vino, & luguminibus. Juxta consuetudinem autem, aut conventionem exigi potest in pecunia; quia est æquivalens, & etiam in hordeo, si in terra seminatum sit hordeum; quia virtualiter spectat ad victum hominis, cum etiam animalia, quæ hordeo vescuntur, victui hominis inserviant. *Muta super Const. Panor. cap. 84.*

QUÆRES I:

2509. *An debeat Dominus terragium pro eo anno, quo terra non fuit seminata, sed solum in ea fuerint facta novalia?*

Resp. deberi. *Muta cit. num. 16. 17. & 18.* quia aliàs id cederet in damnum Domini, & utilitatem seminantis, quia haberet usum novalium, & insuper anno sequenti terra ei uberius fructificaret.

2510. *Novalia verò erunt seminantis, aut ejus per quem facta fuerunt; ita ut qui vellet ea*

vendere possit: Dominus tamen habebit in eis pra- lationem.

2511. *Eo autem anno, quo terra non seminatur, nec novalia fiunt, nullum terragium debetur, juxta num. seq. dicenda. Neque debetur in casu sterilitatis; quæ tamen est regulanda, juxta dicta num. 2382.*

QUÆRES II:

2512. *Baro dedit Massario sex salmas terræ, tres seminandas, alias ut eo anno quiescant relinquendas, sed quod pro his tribus unum solum terragium solvat, ita quod eo anno quatuor terragia solvat. An quartum terragium sit iustum, & licitum?*

Respondeo, resolutionem pendere ex peritorum prudenti æstimatione, & iudicio; si enim ordinariè, & regulariter experitur, quod terra illa, quæ uno anno infeminata relinquitur, altero anno (ex quo quieverit) reddat fructus uberores, sufficientes ad compensandos labores, & expensas Massarii, & insuper ad solvendum quartum terragium pro anno quietis, tunc erit iustum, & licitum; quia quies illa cedit in utilitatem Massarii. Si secus, est injustum, & iniquum.

QUÆRES III:

2513. *Vassallus unius Baronis reperit sub ditioni alterius Baronis terragia minori pretio: An proprius Baro possit licitè cum impedire, & obligare ad recipiendas proprias terras solito pretio?*

Respondeo, posse neque hoc est inducere servitutem Vassalli; ratio est, quia Barones tenentur Regiæ Curiaè solvere consuetas contributiones super valore, & fructibus terrarum feudalium, & demanialium, seu super dictis terragiis; ad quas contributiones concurrere tenentur omnes Barones, & Vassalli, nedum iure civili, verum etiam natura, cum inserviant conservationi Regis, & Regni. Data autem ea libertate Massariis unius Baronis Vassallis, accipiendi alterius Baronis terragia minori pretio, relicto proprii Baronis terragiis solito, & iusto pretio, id cederet in detrimentum, nedum proprii Baronis, sed etiam Reipublicæ, & Regis; quia Baro non reperiret Vassalios, qui proprias terras recipere, & inde sine fructibus manerent, & terragia deficerent, atque adeo consuetas contributiones solvere non valeret.

2514. *Non potest tamen Baro dare Massario terras supra ejus vires, puta tres, quando vix est habilis ad duas excolendas.*

DE VENDITIONE OFFICIORUM Sæcularium.

2515. **O**fficia sæcularia, quæ nullam jurisdictionem habent annexam, sed nudum ministerium, puta Scribæ, Tabellionis, & similia, posse licitè vendi, non est dubium; quia nullo jure est vetitum. *Bardi in Select. lib. 1. q. 19. Adeo-*

Adeoque difficultas restringitur ad officia administrationem, seu jurisdictionem habentia.

De his fusè agit *Bardi cit. sed clarè totam rem restringit P. Tamb. r. 1. l. 8. tr. 3. c. 7. §. 3. ut sequitur, 2516.* Non solum Principes supremi, sed etiam quilibet Princeps Regi subditus, Dux, Marchio, &c. imò, & Senatores, Civitatumque Prætores possunt vendere Officia sæcularia, Officia inquam quæ absolute ipsorum sunt, vel ipsis absolute data. Ita S. Thom. *opusc. 21. ad Duceffam Brabantiam, Azor. tom. 3. lib. 8. cap. 7. q. 3. Vazquez opusc. de Benef. cap. 2. §. 3. dub. 14. Less. cap. 32. dub. 4. Fagund. de Contract. lib. 5. cap. 32. de Lugo tom. 2. de Just. d. 34. sect. 3.* Ratio est, quia quilibet potest vendere id, quod est pretio æstimabile, & suum est. Notanter, *sæcularia dixi, quæ etiam sunt ea, quæ Episcopus, si fortè sit Marchio, ut talis, idest ut Marchio, absolute dare potest; de Ecclesiasticis enim Officiis hic nihil agimus, pertinent enim ad tractationem de Simonia.*

Sed qua ratione dignoscatur Rex, vel alii, Officium esse absolute sub suo dominio; Respondeo duobus signis. Alterum; si absolute de illis disponente solent, hoc est, absque obligatione reddendi rationem alteri Superiori de eorum collatione; Alterum, quando immemorabiliter antecessores sine alterius dependentia, seu licentia soliti sunt illa vendere. Confirmatur; nam quando Rex hæc officia iis donat, quos scit per se non esse obituros, ut foemini, vel viri nobilissimi suæ aulæ, probabile est ex *Azor. loc. cit.* Regem tacite facultatem concedere illa vendendi, seu cum pensione in alios transferendi; ergo eodem modo, quando Rex, vel Respublica absolute concedit Senatoribus, vel Gubernatoribus ea Officia tradenda aliis; tacite licentiam concedit illa vendendi. Videant tamen apud *Diamant. part. 6. tract. 6. ref. 3.* Proreges, alii que an ipsis expressè à Rege, vel Supremo Principi sit vitium: tunc enim nulla favebit, vel consuetudo, vel aliàs collata licentia.

Duo tamen scopuli sunt omnino cavendi. Prior, ne immoderato pretio vendantur, sed prudenti consilio, juxta emolumentum Officii; secus, præter injustitiam immoderati pretii, daretur etiam ansa Officiali electo exigendi à populis plus iusto. Posterior, ne indignis conferantur Officia. Si enim non idoneus Officialis à te creatus damnum faciat, sive particularibus, sive Communitati per sententias injustas, per laprociniâ, &c. tu obligaberis ad restitutionem; & quidem non nego, illum, qui immediate damnum intulit, esse prius obligandum, sed certè in ejus defectum tu obligationem non effugas. Imò quando ipse electus bona fide credidit, se esse idoneum, & sine gravi culpa, utpotè ignorantè, injustas sententias protulit, vel quod simile, tu elector omnino restituere debes: sic de Lugo *tom. 2. de Just. d. 34. sect. 4. num. 49.* quia ipse non peccavit culpa

Theologica; peccasti tu, dum sciens, vel scire debens, indignum Officiale elegisti.

VENDITIO ELECTIONIS AD OFFICIUM, vel ad legatum.

2517. **I**llam difficultatem pertinentem ad Justitiam distributivam huc reducimus: An scilicet Senatoribus, vel cuiuscumque, qui cum sint Domini aliquorum Officiorum, vel legati, vel pecuniæ, frumenti, panis, &c. curam tamen habent ea distribuendi ad suam electionem? An, inquam, integrum iis sit, aliquid accipere ab illis, qui eliguntur, eo pretextu, quod cum Senator potuisset alium eligere, tamen hunc elegit: cum enim hæc electio sit pretio æstimabilis, posse illam competentis pretio vendi, aliquis existimabit.

Respondeo esse diligenter distinguendum, vel enim sermo est de pecunia, similibusque rebus temporalibus, quæ sint distribuendæ ex voluntate Testatorum, Fundatorum, Prædecessorum, &c. vel de Officiis, quæ à Rep. vel Senatoribus debent Civibus determinatæ conditionis conferri: & in utroque casu Distributor, ut dictum est, nullum jus habet, nisi eligendi, non autem sit Dominus, sive Officii, sive pecuniæ distribuendæ. De singulari separatim: nam quia *Sanch. lib. 2. Conc. Mor. cap. 1. dub. 56.* (vide etiam *ibid. d. 38. n. præsertim 17. & 18.*) ea non dividit, animos legentium non sedat ejus doctrina.

7. *Assero primo: Quando distribuenda est à te pecunia, vel quid æquivalens, non potes accipere quidpiam propter electionem unius potius, quam alterius; si accipias, peccas, & accepta, restituerè teneris.* Ita de Lugo *ibid. dub. 56.* Ratio convincens est, quia sicre ipsa non daret totam summam distribuendam. Si enim Testator jus sit, ut puellæ v. gr. nubi darentur à te centum aurei, tu verò velles decem exigere ab illa, quia eam elegisti, jam non centum dares, sed nonaginta. Neque dicas, eam liberè dare; ne id dicas, inquam, nam satis involuntariè eam dare, præsumendum est. Certè ita regulariter contingit, si pactum præcedat, ut fusè alibi. At verò si post acceptos, numeratosque integros aureos, nullo præcedente pacto, sine ullo metu, aliquid ex grato animo verè, & liberè tibi dare illa vellet, non repugno; sed quæso te, id quando erit?

Assero secundo: Quando distribuendum est officium, non potes licitè hunc potius eligere, quam illum, quia ab hoc accepisti pretium; verum si proportionatum pretium accipias, ad restitutionem non teneris. Ita de Lugo *tom. 2. de Just. d. 34. sect. 3. num. 37. d. 9. num. 37. inhiuat Less. lib. 2. cap. 14. disp. 9. n. 64.* Ratio est, quia quamvis tu obligeris dare Officium alicui, veluti in genere, non tamen obligaris dare huic homini

particulari: cum ergo hæc electio fit sub tuo domino, & fit pretio astimabilis, illam moderato pretio vendens, non facis contra justitiam, & ut suppono, neque Reip. damnum inferis, quia idoneum eligis.

Dices: Hæc ratio etiam probat, id non esse illicitum. Respondeo, saltem tunc esset mortaliter illicitum, quando adesset lex sub mortali obligans, ne electio fieret nisi gratis, vel quando data esset tibi electio ea lege, ut gratis, ac sine pretio exhiberes. Sed neque in hoc casu obligaretur ad restitutionem accepti (supponimus autem à lege non invalidari donationem, sed solum prohiberi) quia non peccares contra justitiam commutativam, sed vel contra obedientiam, vel similem aliam virtutem. In eodem tamen casu, quo peccares mortaliter, adverto, si facta à te electione, pecuniaque recepta adhuc esset res integra, ut resili ab electione, & collatione Officii posset, te obligari sub mortali ad rescindendam electionem, pecuniamque reddendam, & ad gratis de novo eligendum; ne scilicet peccatum mortale continuaretur; nam si irremediabilis est electio, ad nullam restitutionem teneris, quia tunc ejusmodi restitutio, nec peccatum jam commissum, nec electionem irrevocabili ter jam factam impedire posset.

Urget: adfunt leges prohibentes, quas ponit per extensum Sanchez l. 2. consil. cap. 1. dub. 56. Cur ergo dictum est (quando adesset lex) Respondeo, quia (ut rectè monet de Lugo tom. 2. de Just. dist. 34. sect. 3. num. 35.) hæ leges solum loquuntur de electione, quoad distribuendam pecuniam, vel quod æquivalens, non verò, quoad distribuendam prædicta officia.

Anno superiore delegati sunt à Prorege per hoc Regnum nonnulli Viri nobiles, qui conserent, seu describerent numerum animarum, seu caput Regni eorumque divitias: concessaque iisdem est facultas asciscendi sibi aliquot Ministros, quibus solveretur stipendium sui laboris, nempe unus aureus, vel quid simile pro quolibet die. Quidam ex his nobilibus, quandoquidem ei concedebatur, hunc Ministerium potius eligere posse, quam illum, quaesivit à me, an ipsi liceret exigere pecuniam ab eligendo; itaut dimidium aureum pro singulis diebus ipse sumeret, dimidium Minister?

Respondi, nequaquam licere, sub pœna restitutionis. Rationem duxi ex hætenus allata doctrina: nam ejusmodi electio ad Officium, seu ministerium relatum ad illam determinatam pecuniam à Prorege taxatam, non est concessa absolute Viro illi nobili, sed sub ea conditione, ut Minister lucraretur integrum aureum: quare hæc electio reducitur ad priorem illam distributionem pecuniarum integrè dandam electis, contra num. 7. Atque advertit, eodem peccato contra justitiam peccaturum eundem nobilem Virum, si ab initio acciperet aliquod prærium pro ejusmodi electione;

nam tunc revera tota merces illi Ministro justè à Prorege attributa nequaquam daretur; partem enim ejus sibi Vir ille nobilis jam anticipatò seponeret.

TESTAMENTUM

EST, nostra voluntatis justa sententia de eo, quod de bonis suis quis vult fieri post mortem suam cum institutione hæredis. Est duplex scriptum, quod fit scripto cum obligatione testium: Et nuncupativum, quod fit sine scriptura coram testibus. Ad scriptum requiruntur ex jure septem testes, qui sint liberi, masculi, puberes, ratione pollemes, non insanes, non pauperes, nec infideles. In testamento militis, aut ad pias causas, sufficiunt duo. In testamento ruri factò sufficiunt pauciores, si plures haberi non possunt.

Factum sine solemnitatibus juris valet, & obligat in foro conscientie.

Testamentum potest semper usque ad mortem revocari. Si fit juratum, potest validè revocari, sed illicitè; validè, quia testator usque ad mortem est dominus suorum bonorum; illicitè ob irriverentiam juramenti, quod proinde est adimplendum, quando potest sine peccato servari. Hæc faciunt casus adducti de Voto, n. 1892. & de Donationis revocatione.

Imò Testamentum Patris irritatur, superveniente filio posthumo, quem Pater non instituerat hæredem. Item non solum irritatur agnatione naturali, videlicet nativitate posthumi, sed etiam agnatione civili, videlicet, si quis post conditum testamentum adoptat aliquem in filium, aut filiam. Bonac. tom. 2. de Contr. disp. 3. quest. 17. punct. 5. ex pluribus juribus.

Testamentum autem, in quo fuit prætermissus legitimus hæres, non irritatur quoad omnia, sed solum quoad institutionem, adeoque legata, substitutiones, & fideicommissa servari debent ab eo, qui succedit. Bonac. cit. ex pluribus juribus: Quia utile per inutile non vitiatur. Si autem testamentum rumpitur, quia prætermissus filius posthumus ignoanter, controversia est apud Doctores.

Testari possunt omnes puberes, usum rationis, & liberam bonorum administrationem habentes, nisi à lege prohibeantur. Religiosi, & Servi testari non possunt: quia quidam Monachus acquirat, Monasterio acquirit, & Servus Domino. Nec damnari ad mortem, nec jure: Nec Uxor, nisi ad pias causas, nec filius familias de bonis adventitius sine Patris consensu, nisi sit clericus, etiam primæ conjugis. Potest testari ad pias causas de pecculo castrensi, aut quasi: Nec cæcus sine testibus: Nec pupillus, nisi sit doli capax, & juramento firmaverit. Nec in bello captus: Nec obses apud infideles. Vide num. 2601.

Institui possunt hæreses, tam personarum privatæ, quam communitates, si sint hæreditatis capaces.

Testator non prohibetur, omisissis consanguineis

neis collateralibus, constituere hæredem quamvis extraneum. Et quamvis spiritus jure civili à testamento excludatur, potest Jure Canonico Pater illi alimenta relinquere, & filium indigentem dotare. Vide num. 2527.

Hæc conditio testamento apposita, si filia non nupserit, in ea que nunquam nupsit, si non intrabit Religionem, habetur pro non apposita.

In dubio testamenti judicandum est, testatorem id voluisse, quod si adesset, dicturus crederetur Arsdlekin.

Recta ratio, & æquitas dicitur, ut pater, & mater id, quod superest extra legitimam, detractis rationabilibus legatis, & remunerationibus, æqualiter inter filios dividat, aut proportionaliter, vide licet plus uni, si justa ratio exposcit, in quantum v. gr. unus est magis habilis ad lucrandum, aut est applicatus id voluntis, quod si adesset, & inde plus egeat.

Cæterum non peccant mortaliter, si ex speciali amore, de eo, quod superest, plus uni filio, quam alteri relinquant, nisi faciant ex odio. Diana p. 1. tract. 8. ref. 83. ubi addit, quod si in morte odium deposuerit, & illius pœniteat, sit absolvendus, licet testamentum revocare non velit; quia solum contra charitatem peccavit, minimè contra justitiam commutativam; quia parentes tenentur filiis ex justitia ad solam legitimam: ita ut totum id, quod superest extra legitimam, possint de rigore justitiæ relinquere extraneo. Hæc autem est sermo de bonis liberis, minimè de vincularis, de quibus num. 2052.

Qui non habet filios, nec nepotes de linea recta, qui succedant in stirpe, sed consanguineos collateraliales, videlicet fratres, sorores, consobrinos, nepotes ex illis, &c. potest de rigore justitiæ omnia sua relinquere extraneo, eumque instituire hæredem; nec peccat mortaliter, secluso scandalo, gravi, aut extrema eorum necessitate: Et in casu necessitatis potest eorum sublevare necessitatem, & cætera extraneo relinquere. Diana cit. ref. 85. & p. 4. tract. 3. ref. 114. Bonac. de Contr. disp. 3. q. ult. punct. 3. num. 13. Sà, Sylvester, & alii plures apud Dianam, contra Homobonum: quia nullum jus ad id illud obligat, nec naturale, nec divinum, nec humanum. Vide num. 2056.

Non obstat lex Cæsare præcipiens, consanguineo abintestato morientis succedere proximiorum in sanguine: nam id præcipit, non quia ita exigat jus naturale, sed fundata in præsumptione rationabili, quatenus lex presumit, voluntatem defuncti hanc fuisse. Beja p. 1. casu 57. foli namque filii sunt hæredes necessarii, qui jure naturali succedunt quantum ad legitimam parentibus testantibus; quoad omnia autem bona abintestato decedentibus.

Hæc dicta procedunt de rigore justitiæ. Ratione tamen æquitatis, & charitatis, æquum est, ut consanguineis collateralibus aliquam portionem distribuat, ut sic vitentur jurgia, lites, invidiæ, maledictiones, & similia mala, quæ inde solent oriri.

Imò Joan. Valerius in different. utriusque fori, addit, cessare etiam æquitatis rationem, sua bona relinquendo Hospitali, aut Monasterio pauperi, si consanguinei sint pauperes, aut non extremè indigentes, & Hospitalæ, aut Monasterium sit magis pauper. Secus, si Monasterium sit dives.

Denique pater, si sine justa causa, dum vivit, bona vendat, aut alio modo alienet cum præjudicio legitimæ filiorum, non peccat contra justitiam, sed charitatem. Diana cit. ref. 84. quia filii non habent jus in hæreditate patris, patre vivente. Vide num. 2369. & 2522.

Executor testamenti est ille, cui à testatore forte debitante de fidelitate hæredis, committitur facultas exequendi ab ipso disposita. Excedere debet annum 17. ætatis. Potest esse unus, vel plures, mas, vel femina, etiam Religiosus de sui Prælati licentia. Est prohibitum Franciscanis de Observantia, & Capuccinis ex jure; eorum autem acta essent valida, sed illicita.

Potest autem Testator eis committere electionem executorum, & facultatem consulendi executores, ita ut ab ipsis executores consilium petere teneantur. Rodrig. tom. 3. q. 70. art. 2.

Executores pecuniam ad distribuendum pauperibus acceptam applicare possunt sibi, suis consanguineis, aut amicis, si egestate laborent, vel suo Monasterio pauperi, si est Religiosus; quia per onus assumptum non evadit deterioris conditionis.

Non debetur illis salarium, quia est officium voluntarium pietatis, & amicitie; nisi inde impedirentur à propriis negotiis, & sic aliquod lucrum cessaret, aut damnum emergeret; vel nisi non sint simplices executores, sed etiam administratores bonorum; tunc namque in utroque casu debetur illis salarium assignandum à Judice, nisi aliquid singularis annis fuerit illis à Testatore relictum.

Hæres tenetur solvere vota realia defuncti; non ex vi voti, sed justitiæ: similiter, & vota mixta, ex ea parte, qua sunt realia; & separabilia à parte, qua sunt personalia, hoc ordine: ut concurrentibus aliis defuncti debitis, solvere debeat. 1. Ab alienum defuncti. 2. Expensas funeris. 3. Integram legitimam, five ascendentibus, five descendentibus debitam. 4. Vota, & tandem legata pia; quia prior fuit obligatio voti, quæ videntem adstringebat; quàm legatum, quod nunc hæredes obligat.

Hinc hæres adeo hæreditatem, nedum commoda, sed etiam onera realia defuncti in se transfert, cum duplici tamen beneficio. 1. Ut non obligetur supra vires hæreditatis. 2. Si sit hæres voluntarius, seu non necessarius, cui legitima portio non datur, ut deductis expensis funeris, & solutis debitis, quartam partem hæreditatis, five sit unus, five plures, obtineat, quæ dicitur: Quarta Falcidia. Quòd si eam non obtineat, ex legatis, non tamen piis, detractore potest jure legis Falcidiæ.

2538. Hæres verò necessarius, cui debetur hereditas abintestato, potest suam partem legitimam ex bonis Testatoris absolute detraxere, et non sufficiat ad solvenda legata; quia hæres necessarius sua legitima privari non potest. Vide num. 2051.

2539. Hæres fideicommissarius, ut post certum tempus restituat hereditatem alteri per leges non impedito, potest, quando ipse, aut ejus hæres hereditatem restituit, sibi retinere quartam partem, que dicitur Trebellianica; & computatur in istam quartam partem fructus percepti: nisi iste hæres fideicommissarius sit hæres ex descendibus legitimis; quia tunc presumitur, testatorem, ultra dictam quartam, voluisse illos fructus illi applicare. Ita Joan. de la Cruz. Vide num. 2603.

2540. Si bona defuncti non sufficiant ad omnia vota, aut legata pia solvenda, sunt diminuenda, sed solvenda omnibus pro rata, quia tunc par est omnium ratio, & jus ad solutionem. Vidal. de Legatis, inquisit. 1. num. 24.

2541. Concurrentibus legatis non piis, & piis, etiam pro celebratione Missarum, omnia esse pro rata diminuenda, & solvenda, si hæreditas ad omnia non sufficiat, tenent Donatus tom. 4. tract. 7. q. 105. Verricelli tract. 8. misl. q. 64. ac rectius de legatis piis, præsertim pro Missis, negat Diana part. 7. tract. 10. ref. 14. quia ritè præsumitur, Testatorem velle salutem propriæ animæ omnibus aliis præferre.

LEGATUM

2542. EST, donatio à Testatore relicta, & ab herede præsumpta. Differt à simpliciter donatione, quia legatum est donatio facta causa mortis. Aliud dicitur profanum, quia ad profanos usus. Aliud pium, quia ordinatum ad pios usus, & animæ suffragium, v. gr. ad maritandas puellas, ad eleemosynam, Missas, &c.

2543. Culpa hæredis in non restituendo debita defuncti existens in Purgatorio, non nocet animæ defuncti, quæ non debet pati ex culpa alterius. At negligentia hæredis in satisfaciendis legatis piis graviter nocet, in quantum privat animam suffragiis, & satisfactionibus, quibus poenæ Purgatorii abbreviantur.

2544. Hæres legatum pro anima relictum tenetur sub mortali solvere, non solum per decem annos, sed per totum tempus à Testatore præscriptum; quia tempus, quo animæ in Purgatorio detinentur, est nobis omnino occultum, & soli Divinæ Justitiæ, simul, & Clementiæ reservatum; adeoque non potest à nobis sine temeritate præscribi. Hinc ex una parte rejicienda est opinio Soti, quod animæ non detineantur in Purgatorio, plusquam per decem annos: Ex alia, dictum illud: Quod pro uno peccato veniali fit in Purgatorio lenda poenâ unius anni, & pro uno mortali septem annorum, est vulgi, & mulierum; quia nulla auctoritate Scripturæ, Conc. Traditionum, aut Patrum munitum, ut observat Bellarm. Vide in pag. 3. Prop. 43. ab Alex. VII. damn.

2545. Legatarius, si post Judicis monitionem, fuerit per annum negligens in adimplendo aliquod onus ei à Testatore relictum, privatur legato, & illud applicatur pro anima defuncti. Mendo verb. Legatum, num. 6. Item legato privatur post Judicis sententiam, si leganti jam mortuo fuerit injuriosus, eum graviter infamando, aut cum illius vidua uxore rem habens. Vide num. 2571.

2546. Si legatarius sciens, & potens, legatum per triginta annos non petat, hæres legantis contra rem legatam præscribit in poenam negligentis illius. Legatario autem mortuo, aut non comparente, quia necivit, aut non valuit, legatum est solvendum ejus hæredi. Mendo cit. num. 6. 7.

2547. Notarii autem tenentur sub mortali intra tres menses legata, maximè pia, legatarius manifestare, etiam nullo requirente, & eis ignorantibus. Vidal. de Legatis, inquisit. 1. num. 64.

2548. Si legato sit apposta conditio impossibilis, aut contra bonos mores, valet legatum, absque eo quod conditio impletur; quia talis conditio ex jure habetur pro non apposta. Mendo cit.

2549. Legatum annuum relictum uxori, donec castè vixerit, amittitur per fornicationem publicam, minime per occultam, aut per osculum. Mendo cit. num. 14.

2550. In legato de alimentis alicui, veniunt, cibis, potus, vestes, lectus, habitatio, & ea, si, ne quibus vivere non potest; minime reliqua. Item si legentur centum modii tritici, qui ex tali agro eo anno colligentur, si pauciores colligantur, si holum debentur. Ita Mendo cit. num. 18. 22.

2551. Quando in testamento legatur centum Petro, & alia centum pauperibus, licet Petrus sit tunc pauper, non possunt hæc centum ei dari; quia clausula generalis non refertur ad specificata. Limita, si relicta sunt centum Petro velut amico, aut affini, qui tempore testamenti erat dives, & tempore mortis Testatoris redditus est pauper; tunc aliquid poterit ei concedi ex secundis centum, nam non fuit specificatus ut pauper. Præterea si testator vivens donavit, v. gr. Hospitali proprietatem bonorum, reservans sibi usufructum, & ex hoc leget quantitatem piis operibus, poterit ex his aliquid applicari eidem Hospitali; quia hæc non sunt prolata in eadem dispositione, in qua locum habet dictum axioma: Clausula generalis non refertur ad specificata. Mendo num. 8. Vide n. 2517.

REGULÆ IN LEGATIS SERVANDÆ

2552. SUNT plures. Prima: quod legata sunt juxta consuetudinem loci intelligentia. L. Minus, ff. de Leg. 3. Secunda: in legato ad pias causas facilis est extensio, & larga interpretatio. Bart. in L. Tertio, §. Seja, ff. de Auro, & argento legato. Abbas in cap. judicanti, de Testam. Tertia: in dubio est favendum pie causæ. L. Sunt persona, ff. de Relig. & sumpt.

sumpt. Quarta, in obscuris inspiciendum est, quod est verisimilius. Ex Regulis juris in 6. Quinta, pro expresso haberi debet, quod Testator disposuisset, si interrogatus fuisset, l. Tertius, §. Lucius, ff. de Libertis. Vidal. de Legatis, inquisit. 2. Vide num. 2524. Sexta, legato principali censetur legatum accessorium; hinc legata domo, veste, &c. censetur legatum viridarium annexum, & ornamentum vestis. Quod si accessorium non extrat, adhuc debetur principale, quia ornamenta non ponuntur taxativè, sed accessorie; secus si ponantur taxativè, Accessorie ponuntur, si dicatur: Relinquo Petro lectum cum suis ornamentis, aut non exprimendo ornamenta: Taxativè, si dicatur: Relinquo Petro lectum, qui talia ornamenta habet. Tunc non debentur lectum, si ornamenta non extant, tenet Ant. à Spir. S. de Testam. tract. 10. disp. 16. sect. 3. n. 146.

EX HIS RESOLVES:

2553. Legatum relictum pro maritandis virginibus, potest ab excecuto applicari pro maritandis virginibus in conservatorio ad id detentis. Vidal. cit. num. 4.

2554. Legatum relictum pauperibus in genere debet præcipue distribui consanguineis testatoris, si constituantur sub talibus circumstantiis, ut non possint secundum suum statum, & conditionem commode, & honestè vivere. Vidal. cit. num. 26. Quia hi dicuntur pauperes. Baldus in l. Si quis ad declinandum, colum. 2. C. de Episc. & Cler. Cui accedit voluntas Testatoris rationaliter præsumpta, ex regula 5. num. 2552.

2555. Imò ipse excecutor, cui est injunctum onus eleemosynam pauperibus dispensandi, si est pauper, potest partem aquam, & rationabilem sibi applicare. D. Thom. 2. 2. q. 32. art. 9. ad 3. Vidal. num. 27. Quia licet, ut excecutor sit Minister ad dispensandum, ut pauper habet jus ad eleemosynam cum reliquis pauperibus.

2556. Legatum relictum pauperibus in genere, aut Monasterio, distribui debet pauperibus, & Monasterio loci, ubi Testator domicilium habebat, nisi aliud expresserit, aut de ejus mente colligatur. Vidal. cit. num. 34. Quia major affectus Testatoris præsumitur ad pauperes sui loci. Cui accedit praxis.

Si in loco sint plura Monasteria, conferendum est pauperiori; nisi Testator committat hæredi potestatem eligendi pauperes, aut Monasterium; tunc namque non tenetur eligere pauperiores, nec Monasterium, aut pauperes loci. Ant. à Spir. S. de Testamentis, tract. 10. disp. 16. sect. 13. num. 341.

2557. Legatum pro virginibus maritandis potest dari virgini illi, quæ habet dotem, sed non sufficientem, ut commodè maritari possit; dummodo reliquis conditiones habeat in testamento expressas. Vidal. cit. num. 29.

2558. Legatum pro maritandis orphanis dari potest puellæ habenti parentes pauperes, & inutiles, qui eam dotare non valent. Vidal. cit. num. 30. Dia-

na p. 4. tract. 4. ref. 140. Quia orphana dicitur puella habens patrem inutilem: desumitur ex cap. Inter cetera de Translat. Episc. ubi Glossa r. Inutilem, inquit, inutilem mortuum reparari; Unde Ecclesia viduata dicitur, quæ inutilem habet Episcopum. Tunc quia idem militat Testatorum motivum, qui reliquit legatum orphanis, in quantum nullum auxilium à suis parentibus habere possunt. His accedit praxis. Item potest conferri expolis. Mendo num. 20. quia cum parentes ignorent, æquè sunt, ac si non haberent.

2559. Eadem ratione legatum pro viduis pauperibus dari potest mulieri habenti virum inutilem. Vidal. cit. num. 20.

2560. Legatum pro puellis pauperibus posse dari viduis pauperibus, tenet Vidal. cit. num. 32. dicens, ita fuisse decisum per S. C. Neapolitanum, & citat Dianam, part. 3. tract. 6. ref. 29.

2561. Legatum pro doranda paupere posse dari pauperi nuptæ absque dote, tenet Mendo verb. Legatum, num. 20. quia idem motivum legantis reperitur.

2562. Legatum pro maritanda virgine conferri potest puellæ clam corruptæ. Vidal. cit. num. 28. & Com. quia nomine virginis venit quæ publicè, & in forè externo reputatur virgo.

2563. Legatum relictum generaliter pro maritandis virginibus, debetur eisdem, si Moniales fiant. Clericatus cap. 102. num. 4. Vide quid in hac re dicant, Barb. de Offic. & Potest. Episc. allegat. 83. num. 26. & 27. Fragosus p. 3. l. 5. d. 8. §. 11. num. 333. Lugo de Just. & Jure, d. 24. num. 293. & 294. & Ant. à Spir. S. cit. num. 753. Ex voluntate Testatoris moraliter certò præsumpta, quæ fuit suæ velle suffragari animæ, quæ per electionem Religionis à legataria factam pro melius juvatur. Cui accedit praxis. Hinc Diana p. 5. tract. 14. ref. 35. nostram sententiam tenendam docet tamquam probabilior, tam ex Theologis, quam ex Jurisconsultis, ratione, & praxi.

2564. Qua ratione legatum relictum uxori, quamdiu statum vidualem servaverit, eidem in conscientia debetur, si Religionem ingrediatur, eo maxime, quia verè statum vidualem servare dicitur. Vidal. cit. num. 35.

2565. Viri Tertii Ordinis S. Francisci collegialiter viventes, & mulieres ejusdem Ordinis, etiam non collegialiter, sed in propriis domibus viventes, quæ tamen vitam castibem, aut castam vidualem ducunt, expresso voto castitatis de Ordinarii licentia emissio, consequi possunt legatum pro Monachatu relicto. Diana p. 1. tract. 2. ref. 85. contra Franc. del Castillo, & Riccium apud ipsam, qui de mulieribus recentissimum opponium tenent. Ratio est, quia dictæ mulieres æquivalentem statum Monachalem servant; quia ratione gaudent immunitate personalis, & privilegio fori, juxta dicta num. 748. adeoque possunt consequi legatum pro Monachatu relicto. Ita fuisse decisum per Rectores S. Barbaræ, & Mon-

tis Pietatis Panormi, testatur Diana cit. Imò ipse del Casillo refert. ita etiam fuisse decimum per Rectores Orphanorum, & in Curia Panormitana. Non obstat Bartholus in L. commodissimè, ff. de Lib. & posthum. quia loquitur de ingressu Monasterii, minime de simplici Monachatu.

Non possunt autem dictum legatum consequi mulieres Tertiarie, quæ nec collegialiter vivunt, nec expresso voto, uti supra, castitatem servant. Quia cessat ratio, & finis testatoris, qui est Religio.

2566. Legatum relictum determinatæ fœminæ maritandæ potest illi conferri, si tempore testamenti, aut post conditum testamentum, ante mortem Testatoris, & dum adhuc Testator viveret, fuit data in matrimonium; quia tunc legatum videtur factum ob peculiarem affectum ad personam, qui non cessat, postquam est nuptui tradita. Non potest autem illi conferri, si legatum sit relictum pro maritandis mulieribus incertis, & indeterminatis Bonac. tom. 2. de Contractibus, disp. 3. q. 17. punct. 8. s. 4. num. 7. quia Testator non movetur ex affectu ad personam, sed ad miseriam pauperum subveniendam, ut statum maritalem sumant, qui finis cessat matrimonio ante Testatoris mortem inito.

2567. Legatum relictum determinato pauperi, aut determinatæ puellæ, si sit factum pro anima Testatoris, aut pietatis causa, dandum est alteri pauperi, si ille ante collationem sit mortuus; quia durat causa legati, nempe pietas, & suffragium: minime, si sit relictum in bonum talis determinatæ personæ; quia causa est affectus, qui cessat. In dubio, præsumptio stat pro causa pietatis, nisi pauper determinatus fuerit confanguineus; quia censetur, quod prævaleat affectus sanguinis. Ant. à Spir. S. cit. num. 150. Vide num. 2585.

2568. Si pauper moriatur, executore in mora existente, tenetur executor solvere hæredibus; quia pauper legatarius habet jus ad legatum à morte Testatoris, & hæres succedit in jure pauperis. Ant. à Spir. S. cit.

2569. Ex his sequitur, quod si quis relinquat legatum D. Antonio determinati loci, & ibi non existat, legatum debetur Ecclesiæ Parochiali Testatoris. Quod si duas Parochias habeat, debetur illi, à qua Sacramenta accepit. Si plures sint Ecclesiæ talis nominis, conferendum est pauperiori, nisi habeat potestatem eligendi, ut in num. 2556.

LEGATUM CESSAT

2570. Primò: Si legatarius præmoriatur legatarii. At si moriatur post Testatoris mortem, debetur hæredibus legatarii, etiam hæreditate non adita, ut in num. 2568.

2571. Secundò: Per notabilem ingratitude legatarii post legatum, nisi postea expressè, vel tacite se reconcilaverit. Et quamvis Testator confcius ingratitude habuisset tempus revocandi, imò & fecisset codicillum, & non revocaverit; adhuc cen-

tur revocatum. Ant. à Spir. S. cit. sect. 15. ex Sanchez. Vide num. 2545. & 2567.

2572. Tertiò: Si legaverit rem alienam putans esse suam.

2573. Quartò: Cessat, extincta re legata per ipsum legatum. Unde si quis, postquam legavit triticum, quod in horreo habebat, illud consumpsit, ad nihil tenetur hæres. Anton. à Spir. S. cit. sect. 13. num. 743.

2574. Quintò: Legatum conditionale cessat, si purificetur conditio, antequam firmetur legatum morte Testatoris. Vide num. 2566.

JUDEX COMPETENS

2575. In legatis piis est Episcopus loci, etiam respectu laicorum, & contra laicos, ex iuribus sequentibus. Insuper ipse est legitimus ultimorum voluntatum, & piorum legatorum executor, tam ex Jure Civili, quam Canonico, ex cap. Nos quidem, cap. Si hæredes, & cap. Tua nobis, de Testam. Ex Trid. sess. 22. de Resor. cap. 8. Si alius executor non sit à Testatore dispositus; vel si sit malè dispositus, aut deficiat. Bonac. tom. 2. de Contractibus, disp. 3. q. 17. punct. 8. s. 10.

2576. Hinc non potest Testator prohibere, ne Episcopus curet sua legata implere; quia licet liberum sit ei legatum condere, non est liberum, Episcopum potestate à jure concessa privare.

Eadem ratione, si Testator legatum condat sub conditione, quod si Episcopus ei se ingererit, sit nullum; Episcopo se ingerente in executione, legatum non cadit, nec transit ad hæredes legantis; quia talis conditio, cum sit contra jura, habetur pro non appollita. Bonac. cit. contra Molfesium. Vide num. 2548.

2577. Potest Episcopus hæredes negligentes ad solvenda legata pia cogere per censuras, præfixo termino bene vilis, puta unius anni, aut sex mensium.

2578. Eandem potestatem habet circa legata non pia, si non sit præventus à Judice laico; quia compulsio hæredum, aut executorum circa legata profana est mixti fori. Abbas in cap. Si hæres, num. 7. Clericatus cap. 102.

DE COMMUTATIONE LEGATORUM.

2579. Legata ad unum usum relicta non possunt in alium usum converti absque jura, ac rationabili causa, ac legitimi Superioris consensu. Bonac. tom. 2. de Contractibus, disp. 3. q. 17. s. 9. Quia Testatoris voluntas est servanda inquam lex. C. Ultim. voluntas 13. q. 2.

2580. Summus Pontifex potest validè (quidquid sit, an licitè) sine causa commutare, etiam in opus minus pium.

2581. In legatis profanis Superior legitimus est Princeps supremus; hic potest ad alium casum profanum convertere ex justa causa.

2582. In legatis piis est Summus Pontifex, uti su-

suprà: Et Episcopus loci ex justa causa, aut necessitate, sine gravamine hæredis, & injuria loci pii.

2583. Hinc Episcopus potest commutationem de uno in alium usum concedere. Primò: Quando voluntas Testatoris non potest de jure, aut de facto impleri in propria specie. Quia voluntas Testatoris, nec præsumitur, nec est contra jura; nec est illicitè executioni danda.

2584. Secundò: Quando voluntas Testatoris potest de jure, & de facto impleri, potest Episcopus ex justa causa, aut ex necessitate commutare.

2585. Justa causa erit. 1. Si legatum factum ad unum usum non possit commodè adimpleri. 2. Si pecunia ad illum usum legata non sufficiat. 3. Si Testator non satis expressit, quomodo sit expendendum legatum, tunc potest Episcopus declarare. 4. Si legatum sine commutatione, aut dispensatione fieret caducum. Et sic, si quis pro anima sua legasset centum Rosæ, ut Monialis fieret, hæc autem nubat, aut moriatur, tunc poterit alteri puellæ, quæ Monialis fiat, applicari. Dixi pro anima sua; quia si legatum esset Rosæ relictum intuitu, & affectu personæ, tunc, ea mortua, evaderet caducum, & cederet hæredi legantis ex num. 2567. Nam legatum non extenditur de persona ad personam, quoties est electa industria personæ. Bonacin. cit.

2586. Justa causa erit potior, si ei addatur necessitas. Necessitas erit. 1. Si legatum sit factum ad usum parùm utilem, v.g. ad pingendam Ecclesiam, quæ minatur ruinam, tunc poterit applicari reparationi ejusdem; nam utilis gerit rem Ecclesiæ, & Testatoris. 2. Si sit necessaria expensio in aliud, quod est necessarium ad executionem legati. Hinc si legatum sit pro celebratione Missarum, sed Ecclesia indiget sacris vestibus, aut earum reparatione; tunc potest legatum ad tempus converti in sacram vestium emptionem, aut reparationem. Eadem ratione legatum annuum relictum pro fabrica Templi, potest ad tempus expendi pro ornamentis, & aliis divino cultui necessariis.

3. Si commutatio non sit perpetua, sed ad tempus, potest facilius jura currente causa fieri. Et sic (ait Clericatus, cap. 102. num. 13.) Eminentiſſimus D. meus Cardinalis Barbadius Episcopus Paduanus, me proponente, in Congr. coram Eminentiſſima, dispensando concessit, ut legatum annuum relictum pro ornamentis Altaris Deiparæ in Ecclesia Parochiali Baptalæ, posset per decem annos expendi pro ornamentis Altaris SS. Sacramenti, attento, quod Altare Deiparæ erat ditissime ornatum, Altare verò SS. Sacramenti erat ornamentis omnino destitutum, & nulla erat facilior via providendi illius nuditati.

2587. Legatum tamen pro virginibus maritandis non patitur commutationem cum alio opere pio. Ant. à Spir. S. de Testam. tract. 10. disp. 16. sect. 13. num. 753.

Hæc docent Doctores communitè, maxime

Bonac. cit. & Verricelli tract. 1. q. 17.

2588. Imò Verricelli cit. num. 5. addit, quod possit solus hæres, aut executor, irrequisito Episcopo, legatum in alium usum convertere, aut aliquo modo mutare, si causa à testatore igræorata adsit, aut de novo occurrat; quia judicio prudenti est moraliter certus, quod si testator eam cognovisset, sic legasset, & disposuisset; quia hæc non est propriè commutatio, aut dispensatio, ad quam requiritur Superioris auctoritas, sed interpretatio per Episcopam, quæ est omnium moderatrix legum, quinque quilibet privatus juxta prudentiæ regulas facere potest.

Insuper, sicut hæres potest declarare voluntatem defuncti, quando est de eâ verisimiliter informatus, ita à fortiori poterit eam declarare, quando naturalis rationis ductu est moraliter certus de eo, quod in tali casu interrogatus responderet, si viveret. Ita Verricelli, qui exemplificat, ut sequitur.

2589. Explico tali exemplo: Testator legavit mille, ut construarer Ecclesiæ sacrarium, id deinde ab alio constructum est, sed interea corruit Ecclesiæ hæres; quis dubitat, posse hæredem sine ulla auctoritate Episcopi, ex solo consensu Rectoris Ecclesiæ, rescire tectum? Sic testator legavit mille, ut quinque virgines suæ Civitatis nuptui dentur; capta Civitate, & in servitutem redactis virginibus ab infidelibus, quis dubitat posse hæredem ea mille ad ipsas redimendas convertere? Neque video, ad hæc necessarium esse Episcopi auctoritatem; sed tantum consensum Rectoris Ecclesiæ, quando certè Ecclesiæ factum est legatum.

2590. Item in q. 18. subdit: Inferitur secundò ad casum, de quo nuper interrogatus fui: testator legavit annua centum in elemosynam panis pauperibus certi oppidi à quodam Ecclesiæ Rectore distribuenda, redditus isti diu inexacti, jam simul soluti, ascendunt ad mille aureos. Queritur, an Rector possit hæc mille convertere in capitale, ut perpetuo major sit panis elemosynæ? Respondeo affirmativè, nam testator supposebat terras annuatim solvi: aliter enim disposuisset, si cogitasset, eas simul aliquando solvendas, ascendende ad summam ducatorum mille; etenim conjectura, & interpretatio voluntatis defuncti deducenda est ex his, quæ Testator præsupponit, ut ait Castill. Sotomajor. Quæd. Controv. lib. 5. cap. 38. n. 4. & ex his, quæ prudentes homines in simili casu fecissent, leg. Quoniam, C. de Naturalibus liberis. Præterea quando Testator legat notabilem pecuniæ quantitatem ad alimenta pauperum, tunc nisi se aliter expressè testator declaret, non est ea pecunia simul distribuenda, sed ad honestum lucrum deputanda, ut ex redditibus annua alimenta inde proveniant; elemosyna enim perpetua utilis est animæ defuncti, ac communitati pauperum, ut in terminis docent Castren. in l. Divi, ff. de l.

, Falcid. ubi Bartol. Angel. & Imola, Alexander
Concil. 100. in fine lib. 1. Lupus in cap. Per vestras
in 3. vob. vers. 7. inferur, num. 1. de Donation. in
ter virum, & uxorem. Rota Romana decis. 742.
num. 2. par. 1. in noviss. Sardus de Alimentis, tit. 4.
q. 9. num. 13. Menoch. lib. 4. praef. 157. num. 33.

Neque refert, fortè ex hoc præjudicari parti-
cularibus aliquibus pauperibus; nam testator com-
munitati pauperum ejus oppidi, imò magis ani-
mæ suæ prospexit; communitati autem pauperum,
& animæ Testatoris utilior est elemosyna perpe-
tua; ut in simili loquentes de anticipatione cum
præjudicio futurorum pauperum, docent Vazq.
opuscul. de Testamentis, cap. 9. §. 3. dub. 1. num. 76.
Rodrig. in Summa, tom. 2. cap. 156. num. 5. Diana
par. 8. tract. 5. resol. 51.

2591. His de rationibus. Ant. à Spir. S. de Tes-
tamentis, tract. 10. disp. 16. sect. 13. num. 752. ait,
legatum distribuendum quotannis alicui Hospitali,
aut Monasterio, posse totum simul ei dari, justa
concurrente causa.

2592. Et legatum relictum pro carceratorum
liberatione quolibet anno, posse expendi, ne quis in
carcerem detradatur; quia certum est, quod esset
proximè carcerandus.

2593. Et Balsem. de Legatis, ait: Ad Episcopum
autem, heredem, & executores pertinet per Episcopum in-
terpretari, non esse à defuncti voluntate alienum, si aliqua
mutatio fiat, v. gr. si pecuniam reliquerit ad calices emen-
dos pro Ecclesia, quæ calicem non eget, poterit eam appli-
care ad casillas, aut alia ornamenta; quæ magis ad Ecclē-
siam usum conducunt.

QUÆRES I:

2594. An, si pro opere à testatore heredi præfixo,
v. gr. pro Oratorio construendo, non fuerit requisita tota
summa pecunie legata, id, quod superest, possit ab ipso
herede retineri?

Relpondeo, posse, si summa pecunie fuit legata
demonstrativè. Non posse, si fuit legata taxa-
tivè. Bonac. tom. 2. de Contractibus, disp. 3. q. 17. §. 9.
num. 5. Tunc dicitur summa pecunie legata taxati-
vè, seu limitativè, quando ex verbis, aut circum-
stantiis dignoscitur, mentem testatoris fuisse, per
totam illam summam suam velle exonerare conscien-
tiam, aut suam animæ suffragari. Tunc verò dicitur le-
gata demonstrativè, quando dignoscitur, mentem
testatoris nihil aliud esse, nisi demonstrare execu-
tionem operis illius, quod præfixit; quod maximè dig-
noscitur, si prudenter judicetur, legasse etiam cum
affectu ad personam hæredis, in quantum summam
excedentem legaverit, volens in tuto se ponere, ne
hæredem gravaret in operis adimpletione.

QUÆRES II:

2595. Petrus reliquit duodecim legata annua unciarum
vixit pro duodecim virginibus quolibet anno maritan-
dis: inde nata est puella consanguinea Petri in tertio gra-

du pauper; cui cum esset oblata occasio boni juvenis, & non
haberet dotem sufficientem, ne opportunam amitteret,
unum ex illis legatis unciarum viginti in spe donavit; &
hinc fuit matrimonium peractum. An dictum legatum possit
ei conferri jam maritata?

Respondeo, posse, sequitur ex dictis n. 2554. 2557.
& 1561. Ratio est primò; quia legatum habu-
it effectum à legante intentum, non aliter, quam
si priùs illud puella consecuta esset; nam ejus virtute,
& non aliter, nupsit.

Cui accedit praxis, & consuetudo in legatis Con-
fraternitatum, pro maritandis filiabus Confratrum
relictis, quæ ab ipsis jam maritatis obtineri solent,
ex eo quia in dote priùs assignaverint; & eorum
virtute nupserint.

Secundò; quia dicta puella est consanguinea in
tertio gradu legantis, pauper, & inops; unde locum
habet moraliter certa interpretatio per Episcopum volun-
tatis ipsius Testatoris, qui si viveret, & puellam
suam consanguineam in statu inopie cognosceret, ne-
dum, sic, sed melius, & utilius ad ejus favorem dis-
poneret, juxta dicta in num. 2552. 2558. & 2568.
Imò, eam esse ceteris non consanguineis præferen-
dam, sequitur ex num. 2554.

PRIVILEGIA FRATRUM MINORUM quoad legata.

2596. Clemens IV. 21. Julii 1265. Const. 4.
Virtute conspicitur, §. 27. Eugen. IV.
Licet debitor, & Sixtus IV. 21. Augusti 1474. Const.
6. Regimini concesserunt Ordini Minorum.

Ut liceat Fratribus vestri Ordinis, cum de
prioribus locis suis ad alia loca se transferunt, tam
edificia, seu omnem adificiorum materiam lon-
corum, quæ dimittunt (dedicatis Ecclesiis dum-
taxat exceptis) quam libros, calices, & paramen-
ta secum ad alia loca transferre, & edificia ipsa
cum solo, & aliis ad eadem loca pertinentia, præ-
ter Ecclesias, per personas ad hoc à Sede Aposto-
lica deputatas, vendere, ipsorumque pretium in
aliorum locorum, ad quæ dicti Fratres se tran-
serunt, adificationem, seu alias in eorum utilita-
tem convertere, secundum quod eis melius vi-
debitur expedire, cum ipsa propria, & alia loca
fratrum ad Nos, & Apostolicam Sedem speciali-
ter, & immediate pertinerent. Vide num.
1145.

2597. Sixtus IV. & Leo X. apud Sorbo verb. Le-
gata, num. 1. & verb. Commutare, à num. 1. ad 3. &
Verricelli tract. 1. q. 17. num. 1.

Concesserunt, quod Prælati Fratrum Min-
orum Observantium possint res donatas apud vi-
ventes; insuper legata facta locis nostris ad unum
usum, commutare in alium, sine scandalo tamen
illorum, ad quos solutio legatorum pertinet; aut
quibus res sunt donata.

2598. Leo X. in Const. 6. Meretur, recenset
Bullas Nicol. III. & Clem. V. & declarat, Fratres Mi-

no-

nores de Observantia licite retinere posse domus am-
plas, & spatiosas; insuper paramenta multiplicia, ac
pretiosa; assignans pro ratione, quia sunt in proprie-
tate S. Sedis; & Fratres sunt tantum custodes, &
solum usum habent, non fructum; quare in nihilo
regulam violant; & decens est, in celebrioribus so-
lemnitatibus decentioribus paramentis divinam hon-
orare majestatem.

De legatis Fratrum Minorum fusè actum est à
num. 1185.

CODICILLUM

2599. **E**ST, ultima voluntas minus solemniter
eo, quod quis post mortem suam fieri velit
causam quinque testibus declarata.

2600. Potest quis mori cum pluribus codicillis
inter se non contrariis, sed non cum pluribus testa-
mentis; quia testamentum posterius ex jure tollit
prius.

2601. Religiosus professus non potest revocare
testamentum ab ipso ante professionem factum; quia
testamentum non potest revocari in totum, nisi per
aliud testamentum, nec in partem, nisi per codicil-
lum. Religiosus autem professus, nec facere potest
testamentum, nec codicillum; quia codicillum est tes-
tamentum parvum, qui à testamento differt per hoc,
quod non requirit solemnitates, nec tot testes, sicut
testamentum. Tùm quia in codicillo, nec institui-
tur, nec tollitur hæres. Vide num. 2604.

2602. Ceteri autem possunt testamenta, & co-
dicillos revocare usque ad mortem; quia ex jure
voluntas Testatoris perambulatoria dicitur usque ad
mortem.

SUBSTITUTIO FIDEICOMMISSARIA

2603. **E**ST illa per quam hæres abintestato, aut
testamento constitutus gravatur restituere
hereditatem, vel partem ejus aliquam, v. gr. dimidiam,
tertiam, aut quartam partem alteri.

Ille, cui est facta substitutio, dicitur fideicom-
missarius. Dicitur substitutio fideicommissaria, seu
fideicommissum, quia Testator fidet heredi, & ejus
fidei committit hereditatem alteri restituendam.

Hæc substitutio non est directæ, sed obliqua,
in quantum fideicommissarius non capit bona hære-
ditaria directè à Testatore, sed ministerio hæredis
primò instituti, & gravati.

Non solum primus hæres potest gravari, ut
hereditatem, aut ejus partem fideicommissario res-
tituat, sed etiam ipse fideicommissarius potest gra-
vari, ut alteri fideicommissario restituat: in quo
casu actiones utiles transferuntur in hunc postero-
rem fideicommissarium. Vide num. 2539.

2604. Licet per codicillum non possit institui
directè hæres, potest institui fideicommissarius; quia
potest hæredi directò jam instituto imponi onus res-
tituendi alteri hereditatem, vel ejus partem.

2605. Fideicommissum non potest fieri, nisi de

bonis liberis, minimè de bonis alienis, aut alteri obli-
gatis. Hæc Bonac. tom. 2. de Contractibus, disp. 3. q.
17. punct. 4. Ubi plura.

De Testamento, & Legatis fusè agunt Maffrius
disp. 4. q. 2. art. 3. La Cruz 7. Præcept. q. 1. art. 5. dub.
14. Diana part. 8. tract. 5. part. 10. tract. 15. res.
11. part. 5. tract. 3. res. 120. part. 3. tract. 5. res.
60. & alibi. Tamb. tom. 2. de Bulla Cruciat. cap. 18.
§. 2. Bonac. tom. 2. de Contractibus, disp. 3. q. 7. 18.
& 19. Anton. à Spir. S. tract. 10. disp. 16. Verricelli
cit. Balsem. lib. 3. tract. 5. cap. 4. Clericatus capi
102. Mendo sub propriis titulis.

SPONSIO

2606. **E**ST, contractus, in quo duo de veritate,
aut eventu alicujus rei certantes, sibi
invicem aliquis spondent, ut id ejus sit, qui veritatem as-
seruerit fuerit. Sponsio vulgo dicitur apposta.

Ut licitè fiat, quatuor condiciones requirit. 1. Ut
fiat super re dubia. 2. Ut sit æqualitas in re, quæ
spondetur, cum æquali incertitudine. 3. Dubius
eventus in utroque. 4. Ut uterque eodem sensu ac-
cipiat id, de quo certatur.

LUDUS

2607. **E**ST contractus, quo ludentes res suas pe-
riculo exponunt, propter sponam acquirendi
rem alterius. Est triplex, fortuitus, ingeniosus, &
mixtus. Ludus mere fortuitus est prohibitus; hinc
ludus alearum, qui magis in fortuna, & casu, quam
in industria est fundatus, est prohibitus laicis sub
venialiter, Clericis sub mortaliter, si tamen frequenter,
& per longum tempus ludant; secus, si per breve tem-
pus, recreationis causa, & absque scandalum. Fenech
de Ludo num. 15. ait, legem Canonicam quoad cul-
pam, videri per desuetudinem abrogatam, si non avaritia,
sed vera recreationis causa ludatur ad aleam, & sine scan-
dalo. Ita Scotus in 4. disp. 15. q. 2. lit. 7.

2608. Conditiones ludi, ut sit licitus, sunt qua-
tuor. 1. Ut ludens non utatur dolo, & fraude. 2. Ne
alter alterum compellat ad ludum per vim, aut ver-
bis contumeliosis. 3. Ut ludens disponere possit de
re, quam ludo exponit. 4. Ut sit æqualis conditio
colludentium.

2609. Tenetur restituere, qui vicit facièdo
contra condiciones ludi, ut esset, qui simularet se
planè ignarum lusum, & sic alterum multò imperio-
rem provocaret, qui aliunde ludere nolisset; hic
enim dolo, & fraude ageret.

2610. Non tenetur restituere, qui utitur astu-
tius illis, quas regulæ lusum, & consuetudo recepta
patitur, cum uterque sciat, tales astutias esse solitas,
& sic tacitè in illas liberè consentiat, v. gr. 1. Si po-
tiores chartas habens, & securus de victoria augeat
sponsionem, vel simulet metum, ut adversarius au-
geat. 2. Si sciens, se inferiores chartas habere, disimul-
let, augeatque sponsionem, ut sic relinquant sibi,
quod erat appositum. 3. Si inspicat chartas alte-

rius

rius ex sola illius negligentia, & absque fraude; secus, si ita se collocet, ut possit videre, vel si alium constituat, à quo admoveatur. 4. Si chartas dicat nosse inter habendum, quas ante non signaverat, nec noverat; secus, si ante eas signaverat, vel noverat, ignorante focio.

2611. Religiosus potest aliquid moderatum ludo alienare, sicut potest aliquid moderatum de Superioris licentia donare. Uxor potest aliquid ludo exponere juxta sui status conditionem. Similiter filius, quia censetur, patrem velle ei honestam recreationem concedere. Item potest filius ludo exponere bona castrensia, vel quasi: minime profectitia, & adventicia sine consensu patris. Vide tom. 2. num. 168. Et uxor exponere potest bona paraphernalia. Vide tom. 2. num. 169. Denique servus potest ludo exponere pecuniam propria industria acquisitam, vel à Domino acceptam cum permissione, ut pro suo libito expendat; vel si de pecunia ob alimenta tradita, servus parce vivendo, aliquid sibi reservet. Vide num. 2625.

2612. Qui ludit cum iis, qui alienare non possunt, jam relatis, peccat, & vincens restituere tenetur totum illud plus, quod illi alienare non possunt; quia acceptant rem alienam, invito domino. In ludo autem filii familias pater non solet esse invitus, nisi quoad modum, nisi jactura sit cum nimio excessu.

E converso, qui alienare non possunt, si vincant, restituere tenentur illud plus, quantum alienare non poterant, quia non servatur aequalitas colludentium, dum vincere voluerunt, & perdere non poterant; excipitur, si collusor sciat, illum alienare non posse, tunc vincens non tenetur restituere, quia scienti, & consentienti nulla fit injuria.

2613. Qui ludo lege humana prohibito perdit, non tenetur in conscientia solvere, nisi se solummodo juraverit; si verò viceit, non tenetur restituere ante sententiam Judicis.

2614. Ludere pro psalmo, vel oratione dominica recitanda non est peccatum, nec irreverentia. Vide num. 2400. Seotus cit. Maltrius in Theol. Mor. disp. 9. num. 78. Bonac. tom. 2. de Restit. disp. 2. q. 3. usque ad 4. Tamb. tom. 1. lib. 8. tract. 2. cap. 9. §. 1. Joan. de la Cruz 7. prac. q. 1. ar. 5. dub. 13. Busemb. lib. 3. tract. 5. cap. 3. dub. 13. Clericatus cap. 101.

CAPUT III.

DE FURTO.

2615. **F**urtum est, ablatio, seu detentio occultae rei alienae invito rationabiliter domino. Rapina est, occupatio rei alienae cum violentia. Unde supra malitiam injustitiae furti addit injuriam violentiam.

2616. Plagium est, furtum hominis liberi scienter venditi, vel empti. Plagium, & rapina addunt

malitiam specie distinctam in confessione explicandam. Vide num. 2159.

2617. Furtum quantitatis notabilis est mortale, parvae veniale. Et quia malitia furti consistit in detrimento, quod proximo inferitur, quantitas ad mortale sufficiens haud melius desumitur, quam per respectum ad personam, quae damnificatur. Hinc

QUANTITAS INTER EXTEROS

2618. **E**ST gravis ad mortale sufficiens. 1. Si à paupere fureris duos julios, seu duos tarenos siculos cum dimidio: inter pauperes veniunt artifices illi, qui vivunt ex labore diei, & tantum uno die lucrantur, quantum ad unius diei victum sufficit. 2. Si à valde divite fureris unum scutum. 3. Si à persona media, seu communi fureris quattuor julios, seu quinque tarenos siculos: inter personas medias, seu communes veniunt personae illae, quae non sunt pauperes, nec valde divites, sed commoda; quaeque plus uno die lucrari solent, quam ad unius diei victum sufficiat. A praefatis tribus generibus personarum minus auferre est veniale. Auferre à Principe ditissimo duos aureos non est mortale; mortale tamen est auferre à mendicuo unum julium, seu tarenum siculum. Similiter mortale est eum auferre à Sartore, qui alium non habens, omittit operam illius diei; nam infert notabile damnum.

2619. Aureus nummus, seu scutum aureum, licet crescere, & decrescere solet, regulariter tamen importat tredecim julios cum dimidio, quae tarenos decem, & septem cum dimidio.

PLURA MINUTA FURTA

2620. **C**ommittens, furando per plures vices modica, sive ab eodem, sive à multis, deveniendo ad quantitatem notabilem, peccat mortaliter, etiamsi in prioribus furtulis non habuerit animum deveniendi ad quantitatem notabilem; & tenetur sub mortali ad restitutionem, non totius quantitatis ablatae, sed illius, quae complevit quantitatem notabilem; reliqua verò, quae remanent, cum remaneat materia levis, sicut antea remanet sub onere restitutionis, solum sub veniali, sicut antea. Et licet furans modica à multis, etiam deveniendo ad quantitatem totalem notabilem, inferat leve damnum singulis; infert grave damnum communitatis, quae, sicut & ipsi domini sunt rationabiliter graviter invitati, nolentes, quod multi ditentur hoc modo furandi modica à singulis: eo maxime, quia id est contra publicam, & singulorum civium securitatem, ac indemnitatem, quoniam, hac data libertate, possent venditores in mercibus vendendis, quid parvum surripere à singulis.

2621. Major tamen quantitas requiritur ad mortale, quando quis per repetitas vices, semper modica furatur ab eodem, quia ille minus detrimentum patitur, & est minus invitus, quam furando simul; nonnulli tenent, quantitatem esse debere di-

mi-

QUANTITAS FURTI INTER DOMESTICOS.

2625. **Q**uantitas furti filiorum, & uxoris ad mortale sufficiens debet esse major, & talis erit, si quantitas in num. 2618. assignata pro exteris duplicetur. Sed in hac re aptior regula est prudentia. Item in furtis filiorum, & domesticorum, debet attendi an pater, maritus, dominus sit liberalis, dives, amans, si furtum sit de esculentis, non de pecunia, & si de pecunia, non frequenter, sed raro, tunc enim solet esse minus invitus; & saepe filius in furto notabili, pecuniae à peccato mortali excusatur, quia prudenter dignoscitur, attentis conditione, & amore patris, patrem non esse invitum quoad substantiam furti, sed quoad modum, quatenus clam rapuerit, ad vana expenderit, &c.

2626. Hac ratione famuli saepe à mortali excusantur in furto comestibilium, quae domo non exportant, neque dividunt, sed ipsi domini consumunt, nisi si cum excessu. Similiter (ait Less.) Furta minima famulorum ex comestibilibus, quae claudi non solent, non solescere, si non ad vendendum, sed ad comedendum accipiant. Domini namque regulariter sciunt, & dissimulant. Confessarii tamen in hac re, nec debent esse laxi, ne famulorum libertas in excessum prorumpat, nec tam asperi; sed uti debent prudentia, famulos à similibus distrahendo; & optime faciunt, si injungant, ut in compensationem, majorem famulatum domini praestent, quando furta non sunt nimis damnosa dominis, & famuli sine magna difficultate restituere non valeant.

2627. Uxor sine consensu viri potest moderatas elemosinas facere, & moderatas donationes, seu largitiones liberales ad conservandam decentiam sui status, juxta morem aliarum mulierum similis conditionis; nec officit, si vir prohibeat; quia est irrationabiliter invitus. Tambur. cum alii concedit uxori, cujus vir est mediocris patrimonii, ut insumere possit duo pro centum pro elemosinis, & alia duo pro liberalibus largitionibus: imò plus; si vir sit ditissimus, semper tamen potior est regula prudentiae.

2628. Filius, si notabilem summam de bonis parentum surripit, illis rationabiliter invitus, peccat mortaliter, & restituere tenetur; quod si non possit, debet eorum rationem habere in divisione haereditatis cum aliis fratribus, nisi alii fratres pariter simile quid rapuerint.

2629. Et sicut peccat mortaliter uxor surripiendo notabilem summam invito rationabiliter marito de bonis mariti, aut quorum est usufructuarius, & administrator, atque ad restitutionem tenetur; ita, & maritus, si pariter surripit de bonis paraphernalibus uxoris. Vide tom. 2. num. 169.

2630. Non peccat uxor subducendo aliqua, vel compensationis causa, si vir sit prodigus, quia is tunc facit uxori injuriam, partem ipsius profundendo, vel pro vic-

tu

midio majorem. Et major requiritur, quando quis furatur à multis, modica à singulis; unde Thom. Sanchez, & Rebell. dicunt, non peccare mortaliter eum qui in Civitate populosa furatur modica à multis, si non deveniat ad quantitatem unius aurei.

2622. Item ad peccatum mortale in repetitis furtulis requiritur, quod sit continuatio moralis temporis; secus, si intercedat magnum temporis intervallum. Magnum temporis intervallum, & interruptio moralis ab aliquibus (apud Tamb.) reputatur, si inter unum, & alterum furtulum intercedat annus; ab aliis, si sex menses; ab aliis, si unus; ab aliis, si quindecim dies; sed rectè Tambur. advertit, in taxanda quantitate, & temporis intervallum, in his, & similibus casibus, meliorem regulam desumendam esse à prudentia, considerando damnum proximi, aut communitatis, ejusque involuntarij.

2623. Casus, in quo plures furantur singuli modica, sed simul ab eodem, v. gr. unum uvae racemum ex eadem vinea, resolutus est in tom. 2. num. 15.

2624. Dices: onus restitutionis ex delicto, ut in casu injustae acceptionis, non obligat sub mortali, nisi adit culpa mortalis; sed in damno illato per plura furtula non adit culpa mortalis, bene verò venialis: ergo, non erit ex illo onus obligans ad restitutionem sub mortali. Minor probatur, quia in singulis furtulis latrunculus iste non peccavit nisi venialiter, injuncta autem venialia non possunt integrare, aut conficere unum mortale.

Resp. concessa majori, negando minorem, pro cuius claritate est distinguendus casus, vel iste latrunculus in ultimo furtulo constituitur cum prioribus quantitate notabilem, advertit ad praecedentia furtula, vel non: si advertit, peccavit mortaliter in ultimo furtulo, quod licet in se sit quid medicum, relate ad praecedentia, cum quibus mortaliter continuatur, constituit damnum notabile, & est mortale.

Si tunc non advertit, sed advertit postea, subdistinguo: vel quando advertit, habuit animum non restituendi, & tunc incepit peccare mortaliter, ut injustus detentor, quantitatis notabilis; vel habuit animum restituendi, & tunc licet non peccaverit mortaliter, tenetur sub mortali ad restituendum ad praevendendam culpam mortalem, quam incurreret, si restituere nollet; & hoc pacto, onus restitutionis in casu oritur ex culpa mortali, nec sequitur, quod plura venialia integrent unum mortale, quia peccatum mortale committitur, vel in ultimo furtulo, vel in voluntaria detentione totius summam notabilis; furtula enim sunt actiones talis naturae, ut possint inter se continuari mortaliter ad constituendum unum damnum notabile. Vide in pag. 5. Prop. 38. ab Innoc. XI. damn.